



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Consolator Fidelis Et Proficientis Animæ seu  
Exhortatiunculæ Spirituales Et Succinctæ In singulas  
Dominicas & Festa anni divisæ, quibûs Confessarius in S.  
tribunali animam Deum verè quærentem paternè ...**

**Eisvogel, Veremund**

**Augustae Vindelic., 1727**

10. S. Gondisalvus

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52716](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52716)

transibit sine bono opere, & optatâ meriti, ac correspondentis præmii mercede, Urnulam antequàm assumamus, *Litanias de omnibus Sanctis* præmittamus, Fodiamus, ut reperiamus.

Festum B. Gondisalvi Ordinis  
Prædic.

EXHORTATIUNCULA I.

Quis parvulo frequenter ploranti absterfit lacrymas? ostensa B. V. Imago. Et perfectò quis tristetur in oculis Mariæ, quæ Mater, & consolatrix afflictorum? verè S. Ephrem: In Maria invenit captivus redemptionem, æger curationem, tristis consolationem, justus gratiam, & peccator veniam. Quid & nos speremus? fili dilecte!

*Instructio meritoria.*

Mel in corde, & lac in ore est Nomen Mariæ. Ideo centies, & usque centies hodie ingeminemus: *Ave Maria!* O Magna! ô pia! ô multùm amabilis Maria! tunc nominari quidem potes, quin accendas, nec cogitari, quin recrees affectus diligentium te. S. Bern.

## II.

**G**ondisalvo Maria suavit, ingredi S. Dominici familiam, quia sibi sacram. Non cunctatus obediit, venit, Mariæ, & S. Dominici filium induit. O fili! ita suos curat clientes coeli Domina. Curavit & nos.

*Instructio meritoria.*

In statu vivimus magnæ felicitatis. Sed cujus beneficiô, curâ, & solitudine? nonne Mariæ? gratias agamus, & pro gratia vocationis 15. *Pater & Ave* cum suis 15. *Mysteriis* recitemus coram devota Icone. Maria expectat: Reddamus, quod debemus. Quidquid gratiarum, quidquid virtutum, quidquid operationum coelestium mundus accepit, emissiones tuæ sunt, ô Maria. Rup. Abb.

## III.

**O**Fili! non poeniteat, quidquid laboris, aut pietatis pro cultu, & amore in B. V. Mariam assumpserimus. In lectulo mortis compensabuntur omnia. En! morienti Gondisalvo adfuit Mater, & ad coeli invitavit gaudia. Hæc

H 5

ex-

expectamus? in amore perseveremus. Videtur enim Maria dicere Filio, sicut Filius Patri : Volo Fili, ut, ubi ego sum, ibi sit & minister meus. Rich. à S. Laur.

*Instructio meritoria.*

Omniū terribilium terribilissimum mors est. Suavissimam ut sentiamus, ad elevationem S. Hostiæ, & S. Calicis sub sacrificio Missæ Jesu, & Mariæ nostram agoniam cum ultimis torturis quàm affectuosissimè commendemus, addendo *tria Pater & Ave* cum Antiph. *Sub tuum præsidium &c.* potentes invitandi sunt. Nihil tuæ, ô Virgo! resistit potestati. Nihil repugnat tuis viribus; omnia tuo obediunt imperio; omnia tuæ potestati serviunt. Greg. Nicomed.

Festum S. Mauri Galliæ Apostoli cum indulgentiis plenariis.

EXHORTATIUNCULA I.

**A**D sanctitatem aspiramus Benedictinam? optimè. At ubi sunt alæ, quibus citò eò avolamus? en! porrigo in humili, prompta, & hilari S. Mauri obedientia. Hac solâ dignoscimur: An  
simus